

imponit digito qui hanc determinat quæ a corde fluitat dilectionis venam. Qualiter fabricare et imponere Ille vobis annuat Qui cum Suos dilexisset usque in finem eos dilexit. Amen.

[Cotton, Claudius, D. 1, f. 4^b.]

[CCXCIX.—JOHN WHEATHAMPSTEAD TO THE ARCH-BISHOP OF YORK.]

Honorabilissimo in Christo patri ac domino domino Johanni divina providentia *archiepiscopo Eboracensi* ac cancellario *regni* suus servitor humilis Johannes de Sancto Albano abbas, seipsum in obsequium sua singula ad omnia genera mandatorum. Venerabilissime domine et pater sincerissime prædilecte; Inter alia recordandæ bonitatis beneficia quibus favor paternus suum sæpius locupletavit filium, illud restat præcipua perpetuaque commemoratione dignum, quo dum novus sinistrae reportationis titinillus fragmina verborum re-collegerat quibus per garritum in vestris auribus opinionem paternam erga filialem innocentiam sinistraliter infirmaret, vos ea lege instructi quæ jubet in omni amfractu litium alteram partem citra diffinitivam sententiam judicialiter exaudiri, vestrarum clausistis januas aurium nec promptum dedistis sibi ingressum prout voluit, licet pulsaret improbe et peteret perfide reserationem. De illo susurratore perfido Simone de T[aramo], pater reverendissime, censeo, qui postquam causam inter me et abbatem de Westmonasterio,¹ super quadam juxta aquas contradictionis furcarum positione apud vestram reverentiam promovendam præmio suscepto sumpserat, ipse spiritu fallacis Symonis ductus,

¹ For the dispute, see particulars in the 16th year of his abbacy: Claud. D. 1, f. 139^a–146^b.